

ELENCHUS.

- II. Quam sint, & reputentur pauperes ad hoc, ut eisdem concedatur Dispensatio in forma pauperum seu gratis? 210
- III. Utrum, ambo Oratores debeant esse pauperes? Item quæ præter pauperatam adhuc requirantur? Præsertim an Oratores, & quali indigeant attestations Ordinarii, ut Romæ obtineant litteras Dispensationis in forma pauperum? 212
- IV. Qualiter in praxi Ordinarii informationem de paupertate Oratorum capere: qualiter item de eadem testari possint & debeant? 213
- V. Quæ sit formula Apostolicarum litterarum Dispensationis in forma pauperum? Et quæ clausulæ in eâ possunt observandæ? 214
- VI. Qualiter in praxi executor litteras Dispensationis in forma pauperum exequi possit, & debeat? 215
- §. IX.
- De Praxi procurandi Dispensationem pro solo foro interno: ubi etiam de formulis litterarum dispensationis hujusmodi, clausulis, Executoribus, & executione earundem.
- Quæstio I. Super quibus impedimentis? Et ex quâ causâ dispensare possit, & soleat sacra Pœnitentiaria pro foro interno? 216
- II. Quam apud S. Pœnitentiariam necessariò exprimi debeant in supplicatione pro obtinendâ Dispensatione in ordine ad solum forum internum? Item quæ omisso, falsitas, vel error vitiet, ac subreptitiâ reddat dispensationem? Ibid.
- III. Quomodo supplicatio pro impetranda Dispensatione in ordine ad forum internum in praxi fieri, & exprimenda exprimi possint, & debeant? 217
- IV. Quomodo? Et ad quos Romam dirigi debeat supplicatio ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno? 218
- V. Quæ sit formula apud Sac. Pœnitentiariam litterarum Dispensationis pro solo foro interno? Et quæ clausulæ specialiter in eis observandæ? 219
- VI. Quis possit esse Executor litterarum Dispensationis à Sac. Pœnitentiaria emanatarum pro solo foro interno? 223
- VII. Quomodo in praxi gerere se debeat à pœnitente electus Executor, ut ritè, validè, ac licitè exequatur memoratas litteras? 224
- §. X.
- De Praxi procurandi Dispensationem apud Episcopum, tam pro foro externo, quàm solo interno: Item de Praxi Dispensationis faciendæ per Episcopum, ac de formulis litterarum Dispensationis Episcopalis: Nec non de executione earundem.
- Quæstio I. Quomodo in praxi procurari possit, & debeat apud Episcopum Dispensatio super publico impedimento Matrimonii pro foro externo? Ibid.
- II. Quam in supplicatione ad Episcopum debeant exprimi ad obtinendam Dispensationem pro foro externo? Item quomodo in praxi formari, & quò dirigi debeat dicta supplicatio? 225
- III. An? Et quomodo Episcopus ante Dispensationem de precibus, & aliis in supplicatione expositis se informare debeat? 226
- IV. Qualiter capi infirmatione debita, & verificatis verificandis actu dispensare? Item qualiter litteras Dispensationis expedire possit & debeat Episcopus pro foro externo? 226
- V. Quomodo in praxi procurari possit, & debeat

- apud Episcopum Dispensatio super occulto impedimento Matrimonii pro solo foro interno? 227
- VI. Quomodo supplicatio in praxi formari? Et quantum in illâ exprimi debeant, quando apud Episcopum solicitari Dispensatio super impedimento occulto pro solo foro interno? Item quæ omisso? falsitas? vel error vitiet, & annulet dispensationem Episcopalem? 228
- VII. Quomodo in praxi per Episcopum concedi, & expediri possint, ac debeant Dispensationes super impedimentis occultis pro solo foro interno? 229
- VIII. Quis possit esse Executor litterarum Episcopalis Dispensationis pro solo foro interno? Et quomodo in praxi illas exequi debeat? 230

§. XI.

De Potestate Dispensandi super Impedimentis Matrimonii, competente Regularibus vi privilegiorum.

- Quæstio I. Quam Regularium privilegia revocata sint à summis Pontificibus Gregorio XV. & Urbano VIII. per allegatas Bullas? Quam item per Concilium Tridentinum? 231
- II. An & qualia habeant Regulares præsertim mendicantes privilegia dispensandi super impedimentis Matrimonii? Ibid.

§. XII.

De Dispensatione super impedimento petendi Debitum conjugale.

- Quæstio I. Quibus modis privetur conjux Jure petendi debitum conjugale, seu contrahat impedimentum petendi debitum? Ibid.
- II. An & qualiter possint Episcopi dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? Ibid.
- III. An & qualiter Regularibus Mendicantibus competat potestas dispensandi cum conjugatis super impedimento petendi debitum? 235
- IV. An ad validè & licitè dispensandum cum impeditiis ad petendum debitum requiratur, ut Confessarii Regularium ad hoc specialiter deputati sint, habeantque licentiam specialem à suis Superioribus Majoribus v. g. apud nos à Provincialibus? vel non? 236
- V. An etiam requiratur causa ad dispensandum in petitione debiti? 237

§. XIII.

De Revalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalidè contracti.

- Quæstio I. An obtentâ Dispensatione ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum sufficit unius? vel requiratur utriusque consensus? & qualis? Item an? & qualiter certior fieri debeat de nullitate Matrimonii ignorans illam, casu, quo Matrimonium invalidè fuit contractum ratione alicujus impedimenti dirimentis v. g. Affinitatis, Criminis &c. 238
- II. Qualiter ergò in praxi ignorans nullitatem de ea certior fieri, & consensus de novo præstari possit ac debeat? 239
- III. Num etiam ad revalidationem Matrimonii requiratur novus utriusque conjugis consensus & nullitatis cognitio ex parte utriusque, casu, quo ex solo defectu consensus unius irritum fuit Matrimonium? 241
- IV. An ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum denuò requiratur præsentia Parochi & testium? Ibid.



JURIS CANONICI UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS
quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributi,
solidisque Responſionibus, & Objectionum
Solutionibus dilucidati,

LIBER QUARTUS.

P R E F A T I O.



QUONIAM in Tertio Decretalium Libro potissimum actum fuit de iis, quæ Clericos tam Regulares, quàm sæculares concernunt, ordo exigit, ut in hoc Quarto Decretalium Libro præcipuè agatur de materiis Laicos concernentibus, non quidem omnibus (hoc enim spectat ad Jus Civile) sed de iis, quæ quamvis Laicis sint propria, tamen ad Forum & judicium pertinent Ecclesiæ; cujusmodi sunt Sponsalia, Matrimonia, & eis annexa; hæc siquidem licet solos inter Laicos regulariter reperiantur, Laicisque propria existant, tamen ad Tribunal pertinent Ecclesiasticum, uti patet non solum ex *can. Multorum. 10. dist. 35. q. 6. & Accedentibus 12. de Excess. Prælat. sed etiam novissime definitum est in Concilio Trident. Sess. 24. Can. 12. ibi: Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit.*

Ut autem Liber hic Quartus de Sponsalibus, Matrimonio, & annexis principaliter agens, pro Foro Ecclesiastico, ubi materia hæc scitu summè necessaria continuo occurrit, prædicte magis quadret, illa præcipuè tractanda seligimus, & uberius explanare juvante Deo conabimur, quæ Judicibus in Foro ac Tribunali Ecclesiastico pro praxi magis servient, prætermittendo, aut non nisi breviter tangendo illa, quæ scitu vel minus utilia, vel in Theologia tam Speculativa quàm Morali exactè tradi solita dignoscuntur.

TITULUS I

De Sponsalibus, & Matrimonio.

1 Ratio ordinis Rubricarum.

DUAS, uti ex Rubrica patet, præfens Titulus habet partes, de Sponsalibus nempe, & de Matrimonio: Quoniam verò Sponsalia latius patent quàm Matrimonium, & hoc plerumque præcedere solent illa, hinc ordinem Rubricæ sequentes, prius de Sponsalibus, postea de Matrimonio agemus.

§. I.

De Natura, ac Divisione Sponsalium, & Requisitis ad ea.

S U M M A R I U M.

- 1 Sponsalia, & sponsus inde dicantur.
- 2 Sponsalium varia acceptio.
- 3 Sponsalia proprie talia, seu de futuro designantur.
- 4 Ad valorem Sponsalium requiritur promissio seria.
- 5 Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Ibid.
- 6 Fidei, vel jocose promittens Matrimonium in Foro interno non tenetur servare promissum, bene tamen refarcire damnus inde secutum.
- 7 Damnificans injustè tenetur ad restitutionem. Ibid.

A

7 In

- 2 In Foro externo quibus presumitur verè promississe consequenter ad servandum promissum adigitur nisi fictionem probet.
 - 3 Fingere nullus censetur. *Ibid.*
 - 8 Jocus facilius probatur quàm fictio. Turpitudinem propriam allegans non est audiendus. *Ibid.*
 - 9 Fictè promittens negare cum juramento potest, se promississe. Negare etiam cum juramento, quando licet? *Ibid.*
 - 10 De obtinente usum corporis cum vel sine promissione Matrimonii. Remissivè.
 - 11 Sponsalia debent esse deliberata: & qualiter?
 - 12 Debent esse libera ab errore,
 - 13 Et metu iniuste incusso.
 - 14 Ad Sponsalia requiritur etiam promissio externa.
 - 15 Et mutua, seu reciproca. Et nu. seq.
 - 17 Potest tamen promissio non mutua obligare ad nubendum.
 - 18 Quamvis ex ea non sequatur impedimentum publica honestatis.
 - 19 Sponsalia debent esse inter personas de Jure habiles. Quenam hæc?
 - Impedimentum perpetuum respectu Matrimonii impediens, est respectu Sponsalium dirimens. *Ibid.*
 - Promissio, imò juramentum illicitorum, nullam inducunt obligationem. *Ibid.*
 - 20 Impedimentum temporaneum non impedit fieri Sponsalia.
 - 21 De Sponsalibus sub conditione, si Papa dispensaverit. Remissivè.
 - 22 Sponsalia clandestina sine presentia Parochi & testium valent. Consequenter est optima Legum interpretis. *Ibid.*
 - 23 Ad valorem Sponsalium non requiritur consensus aut consilium Parentum.
 - 24 Ut licitè fiant Sponsalia, tenetur quis saltem consulere parentes, quamvis sequi non teneatur. Et nu. seq.
 - 25 Extraordinariè tenetur etiam sequi consilium: & subinde non tenetur petere.
- N**on innotatur Etymologia Sponsalium; notissimum enim est, Sponsalia à spondendo derivari ac dici. L. 2. & 3. ff. de sponsalib. quia mos erat apud Veteres, quod, qui uxorem ducere cupiebat, eam prius ab illis, sub quorum cura & potestate existeret, Parentibus v. g. Tutoribus, Amicis &c. peteret, qui deinde petentiam in Matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ex quo proin illi, qui petitam sic promittebant Sponsores, ea verò, quæ promittebatur Sponsa, id est promissa, ille, cui spondebatur, Sponsus, & dies, in quo spondebatur, Sponsalis, dicebatur. cit. L. 2. & 3. ff. de Sponsalib. ibi: Sponsalia dicta sunt à spondendo, nam moris fuit Veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras: unde & Sponsi Sponseque appellatio nata est.

in Jure Matrimonium ratum Sponsalia de presenti dicitur ad distinctionem Sponsaliorum proprie ratium, quæ non sunt ipsum Matrimonium jam ritè contractum, sed sponso seu promissio de eodem in futurum contrahendo, & propterea Sponsalia de futuro dicuntur ad distinctionem Sponsalium de presenti, atque hæc est tertia, eaque propria acceptio Sponsalium, de quibus prima pars Rubricæ, ac præsens Quæstio, ad quam

Resp. Sponsalia proprie dicta, de futuro nempe, 4 sunt mentio, & repromissio futurarum nuptiarum. Hæc definitio habetur L. 1. ff. de Sponsalib. quam Doctores communiter amplectuntur, eò quod conveniat cum definitione data can. Nostres. 3. cau. 30. q. 5. ibi: Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio: licet enim in his non vocentur repromissio, id est, reciproca seu mutua promissio, tamen ex contextu citati Canonis satis clarè patet, quod per ly promissio mutua seu reciproca promissionem intellexerit Legislator, prout etiam communis habet Doctores exinde etiam communiter docentium, de natura & essentia Sponsaliorum esse, mutua & reciprocam promissionem factam ab utroque Sponsalia contrahentium, tam sponsa nempe, quam sponso, ut infra num. 15. magis patebit. Hinc clarior, ac facilior apparet definitio, quam tradit Bosco noster in Theologia Sacramentali Disp. 11. de Contractu & Sacramento Matrimonii sect. 1. Conclus. 1. Dicendo: Sponsalia sunt mutua promissio Matrimonii.

Quæritur II. Quenam requirantur ad valorem Sponsalium de futuro? Resp. Plura requirit: Patet inductione. Nam I. requiritur, quod non sit ficta & simulata, sed vera ac seria Matrimonii promissio, animo ac intentione sese obligandi facta. Sanch. de Matrim. lib. 1. Disp. 9. n. 5. Bosco loc. cit. concl. 5. Zoëlius h. 1. num. 19. Pirhing eod. n. 4. Lessius de J. & J. lib. 2. n. 58. & plures alii apud Sanch. cum communi & hodie certa; arg. L. Obligationum. 3. ff. de Act. & Obligat. Ratio patet; tum quia ficta promissio non est vera promissio; quæ tamen est de essentia, seu pars essentialis Sponsalium, uti liquet ex definitionibus datis: Tum quia deest consensus internus, Sponsalia verè contrahendi, ac se obligandi; consequenter nulla sunt Sponsalia, nullaque obligatio, Arg. c. u. h. 1. in 6. ubi Sponsalia dicuntur nulla ex defectu consensus. Et can. Ubi non est, cau. 30. q. 2. Nec sufficit, quod fictè promittens exhibuerit consensum saltem externum; quia hic in solis verbis, verborumque, aut signorum externorum figura consistens sine formali consensu interno non valet, nec obligationem inducit, textu claro c. Tua nos. 26. h. 1. l. Simulate 3. ff. de Ritu nup. & can. Humane au. res. 11. cau. 22. q. 5. ibi. Quia non debet aliquis verba considerare, sed animum & intentionem. Unde etiam tritum habetur illud: Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. l. In Agris 19. ff. de Acquir. rerum domin. & l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit. si certum petatur juncto c. fin. de Præb. cum concord.

Confirmatur. Obligatio promissionis confurgit ex privata lege, quam sibi imponit promittens; atqui nulla lex obligat, nisi Legislator obligare intendat, ut est communis Doctores: ergo nec lex privata, quam promittendo quis sibi imponit, nisi per eam sese obligare intendat. Sanchez loc. cit.

Infertur, eum, qui certò scit, se non serio, sed fictè tantum, fraudulenter, dolosè, aut simulatè alteri promississe Matrimonium, coram Deo, & in Foro conscientie non obligari ad servandum fictum hujusmodi promissum. Ita DD. num. præc. citati ob rationem & Jura ibidem allegata, licet ita promittendo peccet, & teneatur ad restitutionem damni,

si quod alteri parti ex hujusmodi ficta promissione sequatur, eò quod omnis iniuste damnificans, aut suâ culpa dannonum inferens teneatur resarcire damnum iniuste illatum, ut habet unanimes per vulgaria Juris ex Tit. de Jurejur. & damn. dat. præsertim ex c. fin. ibi: Si culpa tuâ damnum est datum, vel injuria irrogata &c. jure super his satisfacere te oportet.

7 Pariter coram Deo & in Foro conscientie ad nihil tenetur, qui ex joco alteri promissit Matrimonium. Doctores, rationes, & jura n. 5. allegati. Dicitur autem notanter in præsentibus & precedenti numero, Coram Deo & in Foro conscientie; quia in Foro externo semper presumitur seria promissio, & propterea etiam ad servandum promissum condemnari debet Promissor, nisi legitime probet jocum, fictionem, aut dolum: siquidem in Foro externo nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit, ubi habetur L. Labeo. 7. §. 2. ff. de Stipell. leg. Et nimis indignum videtur, quod sua quisque voce dilucide professus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere. L. Generaliter. 13. C. de Non num. pecun. Hinc qui fatetur, vel convincitur, quod Matrimonium promissit, non liberat se ab onere promissum adimplendi, si dicit, se tantum jocose, aut fictè promississe, nisi jocum cum fictionem probet; aliàs quibus facillimo negotio Sponsalia in Foro externo eludere, & ex iis sibi incumbens onus nubendi pro libito removere posset, dicendo: tantum jocatus fui, vel, tantum simulavi, aut fictè promissit, uti consideranti patet.

8 Facilius tamen est, probare jocum, quàm dolo-fam fictionem: Tum quia jocus plerumque aperte patet, fictio dolosa autem studio absconditur, & ut serius actus ex industria simulatur: Tum quia jocus honestus licitus est, & sine peccato fieri potest: fictio autem aut simulatio dolosa de promissione Matrimonii sine gravi peccato fieri nequit juxta dicta, consequenter eandem utpote turpitudinem asserenti non creditur, nisi aliunde plene probet: nam allegans pro se turpitudinem suam non est audiendus, arg. c. Inter dilectos de Donat.

Hinc licet, si promittens jocum plene probare non possit, sed ob circumstantias vel verba perplexa aut ambigua dubitetur, an promissio ex joco, vel serio sit facta, promittens ad juramentum purgatorium admitti debeat si perseverat, se tantum jocatum fuisse, nec habuisse intentionem verè promittendi; eò quod ordinariè in ambiguis locutionibus recuratur ad mentem loquentis, ejusque juramento stetur, arg. c. Cum in tua, qui Matrim. accusare possint, & c. Pastoralis in fine de Except. docetque Gailus lib. 2. Observ. 48. n. 24. & seqq. Felinus in c. Quosdam de Præsumpt. n. 6. tamen ad tale juramentum admitti non debet, qui liberare se volens, dicit, se dolosam tantum, ac simulatam fecisse promissionem ad obtinendum v. g. usum corporis, quia turpitudinem propriam allegans jam suspectum se facit & indignum fide, sicque minus habilem, ut ei juramentum deferatur, per ea, quæ diximus Lib. II. Tit. XXIV. de Jurejurando. §. 6. à n. 180. consequenter juxta sententiam verborum ad ducendam eam, cui promissit, condemnandam erit.

Cæterum si fictè promittens benè videat, quod à parte altera, cui promissit, probari nequeat promissio eidem facta, absolute etiam cum juramento negare potest, se eidem Matrimonium promississe, hoc iplo, quod non verè sed fictè tantum promissit, & non nisi ad sensum & mentem Judicis interrogantis respondere teneatur; Judex autem Reum conventum de promissione Matrimonii, de vera & Refferstuel Jus Can., Tom. IV.

Sponsalium, & Requisitis ad ea. 3

seria promissione, quæ ducendi obligationem inducit, interrogare censetur; quam Reus à parte rei, uti supponitur, minimè fecit. Vide, quæ circa hæc diximus Lib. II. Tit. XVIII. de Confessis §. 7. à n. 171. Quibus non obstantibus tenetur etiam in conscientia ad resarciendum damnum alteri parti ex hujusmodi ficta promissione secutum, juxta dicta supra n. 6. ut proin per talem negationem fictæ promissionis solum possit efficere, quod non teneatur talem ducere, minimè verò, quod non teneatur recompensare damnum, quod iniuste intulit; etsi ab hoc per Judicem ex falsa præsumptione abolveretur. Imò si damnum iniuste illatum non aliter quàm per Matrimonium resarcire potest, ad id tenetur.

An autem, & quando teneatur quis ducere eam, à qua cum vel sine dolo seu fraude, cum vel sine ficta promissione Matrimonii obtinuit usum corporis à puella, dicemus infra §. 4. Interea persequimur alia recensere requisita ad valorem Sponsaliorum.

II. Requiritur, ut promissio fiat liberè ac deliberatè, seu libero, fatique deliberato consensu, eà saltem deliberatione, quæ requiritur & sufficit ad nubendum, & peccandum graviter. Communis, arg. cit. c. Tua nos. 26. h. 1. & c. Dilectus 24. eod. can. Neque cau. 32. q. 7. junctâ L. Fruor. 8. ff. de Sponsalib. Hinc infans, mente capti, furiosi durante infania, aut furore, Sponsalia contrahere nequeunt per citata Jura. Ratio datur cit. c. Dilectus 24. h. 1. videlicet, quia legitimus, id est, satis deliberatus non potest intervenire consensus. Accedit, quod, cum Sponsalia sub mortali obligent, merito etiam tantam exigant libertatem ac deliberationem, quanta requiritur ac sufficit ad peccatum mortale; ut cum aliis benè observat Sanchez, lib. 1. Disp. 8. n. 5. Guttier. de Matrim. cop. 7. n. 6. Ancharan. in c. Dudum 20. de convers. conjug. n. 10.

Porro debent Sponsalia esse libera ab errore circa personam. Omnes. Ratio est; quia aliàs deest substantialis consensus: cum nullus sit errantis consensus, L. Non idcirco C. de Jur. & fact. ignoran. Error tamen circa qualitates, v. g. fortune, morum, conditionis &c. non invalidat Sponsalia, etiam si fuerit antecedens, & dans causam contractui, ita ut Sponsalia non fecisset, si qualitates illam scivisset. Perez Disp. 10. sect. 1. cum communi aliorum contra paucos alios. Ratio est; quia talia Sponsalia nullo Jure Divino aut humano, Civili vel Canonico invalida agnoscuntur; nisi hujusmodi qualitates deducantur in conditionem contractus. Nihilominus error circa qualitates præbet causam justam dissolvendi Sponsalia, prout amplius dicemus infra §. 8. de Causis dissolvendi Sponsalia, ubi etiam, an & quando peccet sponsus, vel sponsa occultas malas qualitates occultans, vel bonas dolosè simulans.

Insuper debent Sponsalia esse libera à gravi metu iniuste incusso; hic enim facit, quod sint ipso Jure nulla; prout amplius probavimus Lib. I. Tit. XL. n. 45. ubi vide.

III. Requiritur ad Sponsalium valorem, ut verè à parte altera, cui promissit, probari nequeat promissio eidem facta, adeo ut promissio interna quantumvis firmiter alicui de nubendo facta non obliget, si mente retineatur. Omnes. Ratio est; quia intentio mente retenta nihil operatur in humanis Contractibus, arg. L. Cum in plures. 60. §. Locator. ff. Locati. Accedit, quod promissio non acceptata non obliget per Vulgaria; promissio autem mente retenta ab altera parte non acceptatur; cum ignoretur: ergo.

IV. Requiritur, ut promissio sit mutua, seu reci-

reciproca per utramque partem facta. Layman. lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. n. 2. Navarrus cap. 22. n. 25. Pirhing. h. i. n. 4. Sanchez de Matrim. l. 1. Disp. 5. cum communi. arg. cit. L. 1. ff. de Sponsalib. ubi Sponsalia vocantur mentio, & repromissio, id est, reciproca promissio ad præcedentem promissionem facta. Accedit ratio: quia Sponsalia sunt contractus onerosus ultrò citroque obligationem indacens. Insuper Sponsalia sunt Matrimonii præambulum, cum, quòd per hoc datur, per illa promittatur: ergo sicut in Matrimonio est necessaria mutua promissio, ita erit & in Sponsalibus. Sufficit tamen repromissio alterius tacita, id est, facta per talia signa, quæ ipsius reciprocæ promissionem sufficienter manifestet, et si claris verbis non exprimitur. Doctores citati, & aperte desumitur ex c. un. de Desponsat. Impub. in 6 & amplius patebit infra §. 3. ubi hujusmodi signa tacita afferemus.

16 Et ex hoc Requisito inferitur cum Laymano lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. n. 2. Navarrus cap. 22. n. 25. Pirhing loc. cit. & communi aliorum; quòd quando quis, Titius v. g. animo contrahendi Sponsalia, & computat ad reciprocam tacitam vel expressam promissionem permovendi promittit Titie Matrimonium, Titia verò promissionem solummodò acceptet, nullatenus verò repromittat, nec vera Sponsalia contrahantur, nec aliqua obligatio ex parte ulius oriatur, non ex parte promissionem nudè acceptantis; quia nihil repromittit: nec ex parte promittentis, utpote qui non censetur se obligasse, nisi secundum naturam hujus contractus; cum verba contrahentium accipienda sint secundum naturam contractus, L. Ex conducto. §. Papinianus ff. Locati. natura autem contractus hujus fit de promissione reciproca, juxta dicta: ergo.

17 His tamen non obstantibus fatendum, fieri etiam subinde posse graviter obligatoriam promissionem Matrimonii ab una parte, sine ulla expressa vel tacita conditione, si repromittat & altera pars; ut si dives aliquis fœminæ, in aliquo morbo fideliter servienti, vel pro remuneratione, vel ut eandem ad ulteriorem fidelitatem permovet, aut in eadem conservet &c. Matrimonium promittat; fœmina verò non renuat, sed promissionem saltem tacitè acceptet, juxta 43. R. l. in 6. Qui tacet, consentire videtur, videlicet in id, quòd est in sui favorem, licet non in sui præjudicium. In tali aut simili casu procul dubio promittens obligaretur ducere Promissariam, non quidem ex vi verorum Sponsalium, utpote quæ ex defectu mutue promissionis non adsunt, sed vigore simplicis promissionis acceptatæ, quæ sicut in alia, ita & in hac materia vim obligandi habet, arg. c. 1. & 3. de Pact. & can. Jurament. 12. cau. 22. junctâ l. Juris gentium. §. An Prætor. 7. ff. de Pact. Bosco p. 5. scilicet. 1. concl. 2. num. 152. cum communi contra Pontium: dummodò pars altera promissionem statim acceptaverit, vel acceptare diu non distulerit, uti bene clausulat cum aliis Sanchez loc. cit. arg. L. 137. ff. de V. S.

18 Quòd si quæras, quid referat, an quis vigore Sponsalium, an verò simplicis promissionis obligetur aliquam ducere? Resp. multum referre. Et quidem primò, quòd ex Sponsalibus oriatur impedimentum publicæ honestatis, c. Ad audientiam. 4. h. i. non item ex simplicis promissione, consequenter, quæ vis pars obligatione promissionis simplicis sublatâ aut remissâ possit cuius consanguineo alterius nubere. Secundo, quòd si absque Sponsalibus ex sola una parte fiat simplex Matrimonii promissio, teneatur quidem talis promittens alteri parti promissionem acceptanti nubere, hæc verò econtra non obligetur: uti suffus ostendit Sanchez l. 1. de Matrim. Disp. 5.

V. Requiritur sufficiens ætas, & ut contrahatur inter personas habiles. Quænam autem requiratur ætas, dicemus Tit. seq. n. 3. & sequitur verò personæ consentur habiles, dicitur in decurru hujus Tituli. Interèa fit Regula illa universalis. Quòd omnes rationis capaces contrahere possunt Sponsalia, qui adveniente sufficiente ætate contrahere possunt Matrimonium, ex illa Regula: Quando aliquid permittitur, censetur quoque permissum omne, per quòd pervenitur ad illud, arg. L. 1. ff. de Jurisdic. Hinc quia impuberes ætate adveniente contrahere valent Matrimonium, possunt etiam impuberes adhuc celebrare Sponsalia juxta dicenda Tit. seq. Et econtra qui habentes impedimentum, sive dirimens, vel impediens contrahere nequeunt Matrimonium, Sponsalia etiam facere non possunt. Nam notum est commune illud Axioma: Quòd omne impedimentum perpetuum Matrimonii etiam impediens tantum, respectu Sponsalium si dirimens, & faciat, ea neque validè fieri posse, v. g. licet simplex Castitatis votum sit tantum impediens Matrimonii impedimentum, non item dirimens; cum Matrimonium in tali voto contractum teneat, tamen respectu Sponsalium sit dirimens, ita ut quantumvis firmam, ac etiam juramento firmatam quis simplicis castitatis voto obstrictus faceret, ac reciperet promissionem Matrimonii, Sponsalia non forent, nec ulla obligatio ex alterutra parte induceretur; quia ad actum ac contractum faciendum illicitum, qualis esset Matrimonium, dum una contrahentium pars est voto simplicis castitatis obstricta, nulla datur, nec dari potest obligatio, c. fin. de Pact. ibi: Pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit. Etiam si juramento firmetur: c. 1. & Cum contingat. 28. de Jurjur. ac c. 58. de R. l. in 6. ibi: Non est obligatorum contra bonos mores prescriptum juramentum: Neque juramentum est institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. Quanto de Jurjur.

Dicitur tamen notanter impedimentum perpetuum, quia si impedimentum tantum temporaneum est, seu certo duntaxat tempore duret; uti est Ecclesiæ vetitum, vel votum castitatis ad certum tempus, duos v. g. aut tres annos, bene possunt durante tali impedimento fieri Sponsalia cum conditione tacita vel expressa, quòd elapso impedimenti tempore contrahere Matrimonium velint, Valentia h. i. §. 2. n. 1. Ledesma de Matrim. q. 47. a. 15. dub. 2. cum communi arg. l. Soler. 10. ff. de His, qui notant infam. ubi dicitur, quòd, viduum que virum luget, intra id tempus sponsum fuisse, non nocet: licet intra annum luctus alius de Jure Civili sit impedimentum Matrimonii.

Gravissima hic occurrit controversia, en, & ad quid obligent Sponsalia illorum, qui perpetuo laborant impedimento contracta sub conditione: Si Papa dispensaverit ad quam controversiam infra dicemus Tit. 5. de Conditionibus appositis. Interèa

Quæritur III. An ad valorem Sponsalium requiratur præsentia Parochi, & testium? Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Tridentino Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. ubi irritavit Matrimonium clandestinum; ergo idem videtur dicendum de Sponsalibus, Arg. l. Oratio ff. de Sponsal. Resp. tamen negative: communis, & hodie certa Doctorum, utpote sæpius approbata in S. Congregatione, prout videre est apud Sanchez de Matrim. lib. 1. Disp. 12. n. 2. & alios. Ratio est; quia dicta Constitutio Tridentina est correctoria Juris communis antiqui; ergo non est extendenda ultra casum expressum, arg. l. Præcipimus. C. de Appellat. Accedit omnium Tribunalium Ecclesiasticorum praxis, qua videmus, approbari, & pro validis agnosci Sponsalia de futuro

futuro clandestinè contracta. Praxis autem, & consuetudo est optima Legum interpretis. c. Cùm dilectus. 8. de Consuetud. & L. 37. ff. de Legib.

23 Quæritur IV. An, & qualiter ad Sponsalia requiratur etiam consilium vel consensus parentum, aut eorum, sub quorum cura nupturi existant? Resp. I. Ad valorem sponsalium nec consilium, nec consensus requiri parentum, aut aliorum, sub quorum cura existunt Sponsalia contrahentes. Layman. lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. num. 14. cum communi & hodie certa aliorum. arg. can. Sufficiat. 2. cau. 27. q. 2. ibi: Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Concordat c. Veniens 13. h. i. ac Concilium Trident. Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. Accedit Tribunalium Ecclesiasticorum praxis & consuetudo Sponsalia in occulto absque ullo consilio vel consensu parentum contracta, pro validis agnoscens.

Nec contrarium evincunt l. In Sponsalibus. 7. §. 1. ff. de Sponsalib. ubi dicitur: In Sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur, quod idem alia Leges, & Canones dicunt, præsertim can. 13. cau. 32. q. 2. & c. Aliter. cau. 30. q. 5. Resp. enim, hæc & similes Leges, ac etiam Canones intelligendos, atque interpretandos esse, quòd vel de consilio, & non de præcepto loquantur; vel quòd ad licita, non item ad valida Sponsalia requiratur parentum consensus, aut consilium: vel denique, si loquantur etiam de valore, sint correcti per Jura citata num. præced. præsertim Concilium Tridentinum: prout patet ex continua Ecclesiæ praxi, ac consuetudine, quæ est optima Legum interpretis, cit. c. Cùm dilectus de Consuetud.

24 Resp. II. Ordinariè loquendo, ad Sponsalia licitè contrahenda requiritur, ut liberi prius desuper saltem consulant parentes, quævis consilium sequi non semper teneantur. Laym. loc. cit. Sanchez lib. 4. de Matrim. Disp. 23. n. 9. & 10. Menoch. Confil. 69. d. n. 19. & alii communiter. Prima pars, quòd saltem consilium petere teneantur, probatur tum ex Juribus num. præced. allegatis: Tum ex illa ratione, quòd natura dicit, non debere quem negotium summe arduum (quale est Matrimonium, utpote à cuius prudenti electione plerumque & temporalis & æterna pendet felicitas) aggredi absque prævio saltem consilio illius, sub cuius cura est; præsertim cùm in hoc cæcus amor facillè graviter decipit improvidam, atque inexperiam juventutem, quæ hoc ipso sub cura aliorum esse, & ab eis dependere de Jure jubetur. Accedit, quòd liberi gravem irreverentiam irrogantes parenti, eumque graviter contristantes, graviter peccant contra quartum Præceptum Decalogi juxta communem Theologorum: atqui desponsantes se incisi ac invitati parentibus, irreverentiam reverè gravem, negativam saltem, eis irrogant, eoque graviter contristant, uti experientia constat, quæ videmus, quòd parentes propterea contra liberos plerumque gravissimè, simul ac justissimè indignentur atque contristantur; ita, ut sæpè non nisi per gravium Virorum preces ac persuasiones placentur: ergo.

25 Secunde partis rationem dat D. Thomas 2. 2. q. 104. n. 5. in Corpore, & alii Doctores citati, videlicet, quòd in contrahendo Matrimonio finaliter quivis sui juris sit ac potestatis, consequenter consilium alterius sequi non teneatur; cùm enim per Matrimonium perpetuè quis subiciatur servituti, ratio postulat, ut eidem in hoc eligendo finalis libertas relinquatur. Dices: ergo frustra & inutiliter tenetur quis prius consulere parentem, si ejus consilium sequi non tenetur. Resp. negando illam Reiffenuel Jus Can. Tom. IV.

tum; quia multum juvare potest, dum nempe parentes à liberis interrogati & consulti, eisdem fidelissimè aperiant, detegant, demonstrant &c. quæ liberi nesciunt, ignorant, vel non prævident; ob quòd dein ipsimet libere subinde à proposito desistant, & utiliora quærent. Confirmatur à simili in his, quæ sunt à Prælati, utpote qui in pluribus prius tenentur petere consilium Capituli, quamvis illud sequi non teneantur, uti patet ex pluribus capitulis Tit. de His, quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli.

Dicitur autem notanter in conclusione n. 24. po. 26 sita, ordinariè loquendo: quia quando filius videt, quòd si patrem consulat, is Sponsalia cateroquin honesta, & Matrimonium subsequens, malitiosè ob Interesse v. g. proprium, aut ex inordinata passione sit impediturus; vel alia gravis causa patrem non consulendi addit, non peccabit, si etiam absque petito patris consilio clam Sponsalia contrahat, & postea nubat. Sicut econtra, licet consilium quòd petere tenetur, ordinariè sequi non teneatur, tamen extraordinariè contingere possit, quòd liberi parentum consilium in hoc etiam sequi debeant; ut si ex Matrimonio prudenter timenda forent gravia scandala, graves inimicitie, grave parentum præjudicium, aut aliud hujusmodi grave malum, quòd liberi avertere tenentur. Sed de his, utpote solum conscientie Forum concernentibus, magis vide apud Theologos, præsertim Sanchez de Matrim. lib. 4. Disp. 23. Layman ut supra.

§. II.

De Verbis, & variis verborum Formulis, quibus contrahi possunt & solent, contracta que in Foro externo præsumi, ac judicari debeant Sponsalia?

S U M M A R I U M.

- 27 In Foro interno Judicium fit, & obligatio nascitur juxta intentionem profertis verba. Verba intelligenda sunt juxta mentem profertis, ibid.
- 28 In Foro externo autem juxta sensum verborum externorum, nisi aliud probetur.
- 29 Ordinariè fieri censentur Sponsalia, quando profertur talia verba, per quæ juxta usum communem loquendi, ea sunt.
- Verba intelligenda sunt secundum communem usum loquendi. Ibid. Et n. 16.
- 30 Enarrantur varia verborum formulae, quibus Sponsalia certo fieri præsumuntur in Foro externo.
- 31 Index ad quæ attendere debeat in judicando, an per verba aliqua contracta sint Sponsalia.
- 32 Proponuntur varia verborum formulae controversæ.
- 33 Verba: Non ducam aliam nisi te; non faciunt absolutâ, sed tantum conditionatâ Sponsalia: videlicet, si aliquam ducam, te ducam.
- 34 Nisi aliud ex circumstantiis desumatur.
- 35 Verba illa, Tu es, vel sis, vel eris mea, vel meus, an & quando Sponsalia significant? Et num. seq.
- 37 Verba, Propinquo tibi ad Matrimonium: quando significant Sponsalia?
- 38 Verba, Tu es, vel sis mea uxor, absente Parocho prolata indicant Sponsalia.
- 39 Verba non amplius te deseram; manebo tibi fidelis: constantè tibi adherere: quando indicant Sponsalia?
- 40 Verba, Promitto tibi amorem, & fidelitatem meam,

- meam, quando indicent Sponfalibus?
- 41 Si una pars promiserit Matrimonium, & altera precise acceptat, dicendo v. g. placet, non sunt Sponfalibus.
- In ambiguis, ac dubiis potius pro libertate quam obligatione judicare, ac interpretari oportet. Ibid.
- 42 Solvitur Objectione.
- 43 Qui ad factam promissionem tacet, non censetur reprobare.
- Qui tacet consentire videtur: quomodo intelligendum? Ibid.
- 44 Ex diverso capite potest esse dubium, aut ambiguum, an Sponfalibus sint contracta nec ne: Nec de quovis idem erit iudicium.
- 45 Quando verba aut signa ex se ipsi sunt obscura, & proferens eas, negat Sponfalibus, debet absolvi, vel ad juramentum admitti.
- 46 Si verò sunt clara, & juxta communem usum indicant, condemnatur ad ea, nec admittitur ad juramentum, licet dicat, se illa tanquam scilicet, aut jocose protulisse, nisi jocum saltem semiplene probet.
- 47 In dubio verba interpretanda sunt, ut res valeat potius, quam pereat quomodo intelligendum?
- 48 Qui clara proferens verba dicit, se illa dolose, ac scilicet ad obtinendum v. g. usum corporis dixisse, non auditur, nec admittitur ad juramentum.
- 49 Quando verba, aut signa sunt clara significant Sponfalibus, & Reus absolute negat, se ea protulisse, Actor verò id plene probare non potest, quid facere debeat Judex? usque ad n. 53.
- Reo potius favendum est quam Actori. Ibid.
- Juramentum cui deferendum, quando dubium est, an Sponfalibus contracta sint, nec ne? Ibid. item a n. 45.
- 50 Fœminis quando in materia Sponfalium deferendum sit juramentum?

27 Sicut in pluribus aliis, ita & vel maxime in proposito distinguendum est inter Forum in- & externum. Et quidem loquendo de Foro interno, seu conscientia, omnes conveniunt, verba quælibet accipienda, & intelligenda esse juxta mentem ac intentionem proferentis, arg. c. Intelligentia de V. S. ubi Summarius sic habet: Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. Quod ad id verum est, ut, si desit intentio, & consensus internus, nulla in Foro conscientie sint Sponfalibus, qualiacunque dein verba proferantur, ut patet ex dictis. Ut proin in Foro interno, ac in Confessionali res omni careat difficultate, si enim poenitens (cui in Confessionali credendum) sincere assereret, se per hæc aut illa verba à se prolata nullatenus intendisse promittere alteri Matrimonium, aut facere Sponfalibus; dicere ei potest & debet Confessarius, ergo in conscientia eam ducere non teneris, poterisque tutâ conscientia etiam juratò dicere, te alteri Matrimonium non promississe, est verba protuleris secundum communem usum loquendi, vel loci consuetudinem significantia promissionem Matrimonii, seu Sponfalibus. Imò poterit talis tutâ conscientia etiam juratò negare, se talia verba protulisse, videlicet in eo sensu, quo accusatur, aut interrogatur, ad contrahenda nempè Sponfalibus, aut ferèd promittendum Matrimonium, juxta dicta supra n. 9. & Lib. II. Tit. XVIII. §. 7. a n. 171. Dummodò damnus dein aliunde resarciat, si quod forsitan per dolosam, aut fictam promissionem alteri parti injustè intulit, prout cit. n. 9. jam dictum. Econtra, si poenitens in Confessionali fateatur, se per hæc aut illa verba omnino intendisse, ac voluisse alteri promittere Ma-

rimonium, seu facere sponfalibus, dicere ei debet, ergo teneris eam ducere: est pars altera promissionem probare non possit; vel verba ita ambigua aut obscura sint, ut Judex in Foro externo ex falsa præsumptione te absolvat.

Verum loquendo de Foro externo focus est dicendum; nam quia Ecclesia non cognoscit occulta vel interna, nec judicat de occultis, c. Sicut tuis de Simonia, & can. Erubescant. dist. 32. junctâ Glossâ ibidem v. Secretorum, jam hoc ipso judicare non potest nec debet juxta intentionem, quam se habuisse asserunt litigantes aut partes, sed secundum sensum, quem verba important, nisi aliunde sufficienter adversa probetur, juxta dicta n. 7. & dicenda statim infra.

Quæritur itaque I. Per quæ verba, aut verborum 29 formulam in Foro externo præsumi, & judicari debeat, contracta fuisse Sponfalibus, seu promissionem Matrimonii? Resp. I. Universaliter, ac generaliter loquendo, & nisi aliunde de intentione constat, per illa verba, vel verborum formulam in Foro externo præsumi & judicari debet, contracta fuisse Sponfalibus, seu Matrimonium fuisse promissionem, quæ juxta communem intelligentiam, communemque usum loquendi, aut loci consuetudinem Sponfalibus, seu promissionem Matrimonii significant. Sanchez de Matrim. lib. 1. Disp. 18. n. 4. dicens, ita docere univerfos. Sporer ubi supra n. 178. Panormitanus Confl. 78. cum communi, & certâ aliorum, textu claro c. Ex literis 7. h. t. ibi: Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recuratur, & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. Concordat textus l. Semper in stipulationibus. ff. de R. I. & in l. Labeo ff. de Supellect. legat. ibi: Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudire debent.

Similia verba juxta communem usum loquendi, ac intelligendi. Sponfalibus seu promissionem Matrimonii certò indicantia, sunt sequentia, quibus vernacula pro majore claritate addere placet. Promitto tibi Matrimonium: & ego tibi. (Ich verspricht dir die Ehe, vel promitto, vel obligo me, quod velim tibi nubere, vel te ducere, vel tecum contrahere Connubium: Ich verspricht dir, vel obligiere oder verspänd mich, das ich dich will zur Ehe nehmen, vel absolute, das ich dich will nehmen: vel das ich dich will heyrathen: vel das ich mich mit dir will zusammen geben lassen.) Item per fidem meam: vel quam verè vivo: vel quam verè homo sum: vel quam verè ita vocor: vel quam verè honestus sum; ducam te, vel accipiam te, nubam tibi &c. (Bey meiner Treu: vel jo vvaehr ich lebe: vel jo vvaehr ich ein Mensch bin: vel jo vvaehr ich ein ehlicher Kerl bin: so vvaehr ich Hanns heiss, i will, oder vvaehr ich dich heyrathen; solts mich haben.) Item sim negatum, vel sim infidelis, vel diabolus me rapiat nisi ducam te &c. (Sey ich ein Schelm: vel seye ich nicht Ehrlich; vel hole mich der Teuffel: vel straffe mich Gott, vvaem ich dich nit nehme &c.) Item Tu sis futura mea uxor: vel volo te habere pro futura mea uxore &c. Du sollst mein künfftiges Weib seyn, vel Ich will dich für mein Weib haben, vel nehmen.) Notandum enim hic cum Sanchez loc. cit. num. 12. cum plurimis ab eodem ibidem citatis, præsumi & judicari Sponfalibus, est expressè non adhibeatur terminus, promitto, obligo, juro &c. sed simpliciter dicatur, accipiam te: ducam te: vel volo te accipere, ducere, nubere &c. (Ich will dich nehmen, vel heyrathen &c.) Cum enim etiam per hæc verba implicite & tacite promittere ordinariè intendant, ita eos intendisse præsumi & judicari debet, arg. cit. c. 7. h. t. & l. Labeo. ff. de Supellect. legat.

- 31 Resp. II. In judicando, an, & per quæ verba promissio Matrimonii, aut Sponfalibus sint contracta, debet Judex in Foro externo etiam attendere ad alias qualitates, v. g. ad conditionem & qualitatem loquentium, & ad usum, & consuetudinem loquentis, ad antecedentia, & subsequenta, seu quid tunc inter partes actum sit, & hoc præcipue tunc, quando verba ex se sunt dubia, obscura, ambigua &c. Sanch. loc. cit. n. 4. citans Covarruviam, & alios. Ratio patet: quia ex his aut similibus circumstantiis, utique subinde Judex prudenter colligere, præsumere, & arbitrari potest, loquentium mentem ac voluntatem, sensumque verborum, quem tunc intendebant, arg. c. Solita de Majoritate & obed. c. Intelligentia 6. de V. S. ibi: Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, & ibi Glossa v. Ex causis.
- 32 Quæritur II. De quibusdam verbis, verborumque fo mulis in specie, an, & quando per ea, Sponfalibus contrahi, & contracta esse, in Foro externo præsumendum sit v. g. Non ducam aliam quam te: vel Nulla alia tanget latera mea, quam tu: (Ich will kein andere nehmen, oder heyrathen als dich: vel, Es soll mir keine an mein Seiten kommen als du: vel, tu es mea, & ego sum tuus: du bist mein, und ich bin dein: vel Tu es mea, vel sis mea charissima, du bist, oder sollst mein Gliebste seyn: vel propino tibi ad Matrimonium, ich bring dir auf die Ehe: vel Tu es mea uxor, & ego tuus maritus, du bist mein Weib, und ich dein Mann: vel promitto tibi amorem, & fidelitatem meam; Ich verspricht dir mein Lieb und Treu: vel promitto quod velim tibi manere fidelis, Ich verspricht, das ich dir will treu verbleiben) vel promitto tibi, quod non amplius, vel unquam te velim deserere.
- 33 Resp. I. Quamvis non desint Doctores dicentes, per illa verba: Non aliam ducam quam, vel nisi te, (Ich will kein andere nehmen, oder heyrathen als dich; vel, Nullus, vel nulla tanget latera mea, quam tu: Es soll mir kein anderer, oder keine an meine Seiten kommen, als du &c.) veram fieri promissionem Matrimonii, vereque Sponfalibus contrahi, uti videre est apud Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 19. n. 3. Nihilò minus probabilius videtur, per similem verborum formulam Sponfalibus non contrahi, nisi ex circumstantiis, quas juxta dicta n. 31. Judex considerare debet, aliud prudenter colligatur. Sanchez loc. cit. n. 5. Gutierrez. can. q. lib. 1. q. 21. n. 13. Layman. lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 1. n. 2. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 85. Alciat. in l. Adione. C. de Transact. & plures alii apud Sanchez, Rota Decis. 656. n. 4. Ratio est; quia similia verba faciunt duntaxat sensum exceptivum, & conditionatam promissionem, videlicet, Si aliquam sum ducturus, te ducam. Hinc licet v. talis promissionis talem ducere deberet, si nubere vellet, arg. l. 2. ff. de Action. Empri. Tamen etiam omnino abstinere potest à Matrimonio, prout in simili, si quis dicat: Nulli vendam domum meam, quam tibi, licet teneatur huic vendere, si vendat; tamen potest à venditione omnino abstinere, & domum pro se retinere, arg. cit. l. Si sterilis. 21. §. Si tibi. ff. de action. Empri. ibi: Si ita tibi fundum vendidero, ut nulli alii eum, quam mihi venderes, actio eo nomine ex vendito est, si alii vendideris.
- 34 Dicitur autem notanter: nisi ex circumstantiis aliud prudenter colligatur; eæ enim facilius tales concurrere possunt, quod ex his Judex vel certum iudicium, vel saltem prudens dubium Sponfalibus contractis formare possit; consequenter eundem non absolvere, sed vel ad ducendum condemnare, aut in dubio ad jurandum de intentione ha-

bitâ compellere debeat, juxta dicta n. 8. & dicenda infra: Similis circumstantia foret, si præfata verba antecedit, vel subsequatur copula, ea enim satis indicare, vel saltem prudens dubium causare solent, similia verba amore Sponfalibus esse prolata, uti in simili formula dubia bene observat Gobath. Tract. 10. casu 2. n. 65. Sporer loc. cit. n. 186. universaliter docens, si precedente mentione vel contractu de futuro Matrimonio, cum dubiis verbis aut signis concurrat copula, verba illa aut signa censenda esse facta aut prolata affectu & intentione Sponfalibus. Illud certum est, nulla fieri Sponfalibus, nisi conditionata, quando conditio apponitur, v. g. Si aliquam ducam, nullam quam te ducam: sicut econtra pro certis Sponfalibus haberi debent, si præfata formula addatur absoluta affirmatio de ducendo, v. g. Te ducam, & nullam aliam: vel Nullam aliam ducam, sed te.

Resp. II. Illa verba: Tu es, vel sis, vel eris mea, (du bist, vel vvißst die Mein sein: vel Ex tunc, vel imposterum es, vel eris mea, Von jetzan vel hinfuran, solst, und vvißt mein seyn, oder die meine seyn;) si proferuntur sine præfata Parochi & testium, quavis Sponfalibus indicandi ex se generalem vim habeant, tamen in his partibus ad summum Sponfalibus dubia constituunt, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. Ratio, quod Sponfalibus communiter indident, est; quia, licet si in præfata Parochi & testium præfentur, Matrimonii contractum de præfenti significant, uti bene cum aliis docet Sanchez loc. cit. Disp. 18. a n. 14. tamen quia præfentent illa sciunt, se abq; Parocho & testibus Matrimonium contrahere non posse, haud dubie prudenter desini potest, similia verba effectu & mente Sponfalibus ab esse prolata, ita ut per ly mea, vel meus intelligant mea uxor, meus futurus maritus; consequenter sensus sit, tu es, sis, eris mea futura uxor; cum ordinariè non appareat, quid aliud per mea, vel meus in tali prolatione indicare vellent, si, uti supponitur, non de re alia, sed de futuro Matrimonio, seu de Sponfalibus agebatur, arg. l. Ex conducto. ff. Locati.

Altera pars docet à Gobath loc. cit. num. 58. quem sequitur Sporer loc. cit. n. 184. Ratio assignari potest, quia in his partibus ly mea, vel meus ordinariè non nisi anasium, vel anasiam indicare volunt; cum impluribus Germaniæ partibus ede dementia eventum sit, quòd plurimi & plurimæ præfentent plebei finis certa sua amafia, vel amasio esse nolint. Consequenter quia juxta morem usum, & consuetudinem Patriæ verba intelligere oportet, arg. c. Ex literis 7. h. t. & l. Labeo. ff. de Supellect. legat. non debet, nec potest Judex in his partibus ex hujusmodi verbis certa, sed ad summum dubia præsumere Sponfalibus, consequenter præfentent juramentum de habita verborum intentione deserre, juxta dicta n. 8. & dicenda n. 45. Etid maxime tunc procedat, quando expressè addant terminum Charissima, vel Charissimum, dicendo v. g. Tu es sis, vel eris mea Charissima, (du bist, sellst seyn mein Gliebste;) quia hoc termino plerumque non nisi anasium vel anasiam ad nubendum non obligatum indicare solent: quavis ex circumstantiis, uti dictum, etiam Sponfalibus colligi valeant; præfentent, si ly mea expressè addam uxore, juxta dicenda infra n. 38. Cæterum jam ex hoc patet ad illam formulam, Tu es, sis; vel eris mea charissima, (du bist, vel sollst mein Gliebste seyn.)

Resp. III. Illa verba, vel verborum formula: Propino tibi ad Matrimonium (Ich bring dir auf die Ehe: respondente puella: Deus benedicat, (geheegne dir Gott;) apud Germanos regulariter loquendo indicant promissionem, & repromissionem Matrimonii,

nisi ex circumstantiis confer illam, vel illam tantum jocari voluisse, Gobath *loc. cit. casu 1.* quem sequitur Sporer *cit. p. 4. cap. 1. sect. 2. num. 18.* Ratio est; quia Germani hujusmodi propinandi modo in variis locis verum contrahendi consensum exprimerent consueverunt, consequenter juxta consuetudinem hanc loci, & usum loquendi sententia ferenda est, *arg. cit. c. Ex literis 7. h. t. nisi, ut dixi.* Aliud colligendum sit ex circumstantiis, quas utique considerare oportet. Et certe in his partibus quævis puella à Matrimonio ita propinantis abhorrens, vel non benediceret, vel vultu, responsione, aut gestu ita se gereret, ut quivis præsens facile adverteret, eam nolle Matrimonium oblatum, vel non suscipi de eo. Unde si poculum ita propinatum liberè accipit, & sine ullius aversionis, vel joci exhibitione ebibat, aut saltem liberè bibit, meritiò in Foro externo de consensu Sponsalio judicatur, ut bene advertunt laudati Doctores.

38 Resp. IV. Verba illa; *Jam tu es, vel sis, mea uxor, & ego virtuosus*, aut econtra; *(Du bist, oder sollst seyn mein Weib, und ich dein Mann, serid & absque joco prolata*, parte altera annuente, in foro externo censenda sunt vera Sponsalia; si absque præsentia Parochi & testium profertur. Ratio patet; cum enim hæc verba in præsentia Parochi & testium prolata juxta communissimam consuetudinem verum Matrimonium, uti videre est apud Sanchez *loc. cit. Disp. 18. num. 20.* Sporer *loc. cit. Tamburinum, & alios;* absente Parocho & testibus censenda erunt Sponsalia, & præsumendum, quod, dum profertent illa scient, se de facto Matrimonium ipsum inire non posse, velint per hæc verba exprimere mentem, & consensum Sponsalium ad Matrimonium obligantem, prout in simili diximus supra *num. 35.* Et certe ipsemet plures habui, qui hoc loquendi modo Sponsalia contrahere plane intenderunt, imò hunc modum contrahendi Sponsalia pro perfectissimo reputarunt, hoc ipso, quod ad significandam mentem feriam Sponsalium efficaciora verba non judicarent, quam vocando invicem *virum, & uxorem*, intelligendum certò futuram.

39 Resp. V. Verba illa; *Promitto, quod non amplius vel nunquam te velim deserere*: (*Ich versprich, dass ich dich nimmermehr, vel niemahl wolle verlassen, vel Non amplius te dimittam, Ich wuil, oder vwid dich nicht mehr lassen, oder anlassen*;) sicut & verba: *Constanter tibi adhererebo, prævia mentione vel tractatu de futuro Matrimonio indicant, vel potius supponunt Sponsalia.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. Disp. 18. num. 19.* Gobath. *loc. cit. num. 63.* Covarruvias, & alii. Ratio patet; quia hoc ipso, quod si præcedente contracta & mentione Matrimonii quis dicat, *Non amplius te dimittam, fidelis tibi manebo &c.* supponit, & indicat, quod jam habeat sibi conjunctam saltem obligatione Sponsalitiâ, nisi circumstantiâ aliud manifestè suaderent, vel alias prædenter colligere esset, quod tantum constantiâ, adhesionem, & fidelitate amans consuetâ, juxta dicta supra *n. præced. & n. 35. & 36.* Et tunc præcipue verificatur, quando cum his verbis concurrat copula, per dicta supra *n. 34.*

40 Resp. IV. Illa verba: *promitto tibi amorem & fidelitatem meam*, (*Ich versprich dir mein Lieb, und Treu*) ex se dubia & ambigua sunt. Sporer *loc. cit. n. 186.* Gobath *loc. cit. n. 65.* & alii; quia amor & fidelitas in pluribus exhiberi possunt. Et certe in Germania Amasii & Amasie solent absque Sponsalibus non raro mutuum sibi promittere amorem & fidelitatem, videlicet, quod nullam aliam amantem, vel amantem habere velint. Cæterum si hæc verba præcedente mentione vel tractatu de Matrimonio profertur, haud dubiè etiam intentionem Sponsalitiâ

indicare possunt, præsertim si accedit copula juxta dicta *num. 34.*

41 Queritur III. An in Foro externo censenda sint Sponsalia, si una parte promittente Matrimonium de futuro, altera pars reponat, *placet, accepto, vel gratias habeo pro beneficio in me collato, vel omnino tacet.* (*Ich lasz mirs gefallen: nimis vorberkent an: vel bedan. ke nich vor diese Gnad &c.*) Resp. I. Quamvis quoad primam partem, si nempe altera pars expressè acceptat promissionem, discrepent Doctores, uti videre est apud Sanchez *lib. 1. de Matrim. Disp. 5. n. 4.* tamen Sententia negativa probabilior est, eamque tenet Sanch. *loc. cit. n. 5.* Ledesma *de Matrim. q. 43. a. 1. dub. 1.* Engel *h. t. §. 2. n. 8.* & alii, contra Pontium, Vasquez, & alios. Ratio est; quia ad vera Sponsalia requiritur mutua promissio, seu repositio juxta dicta *n. 15.* atqui quæ simpliciter acceptat, non reponit, nec reponit rem censenda est: Tum quia in dubio magis præsumitur pro libertate, quam pro obligatione, *l. Ariamus 47. ff. de obligat. & act. libi: Ubi de obligando queritur, proferentes esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum: ubi deliberando ex adverso queritur, ut faciliores sint ad liberationem: & l. Quidquid ff. de V. S. libi: Quidquid adstringende obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimitur, omisum esse intelligendum est: a. c. certè secundum promissionem interpretatur, quia stipulanti liberum fuit, verba late concipere.* Hinc est illa *30. Regula Juris in 6. In obscuris minimum est sequendum;* id est, quod minus obligat, & onerat; ergo etiam in casu conclusionis id facere, & consequenter dicere debemus, quod per illa verba compar promissionem sibi factam præcisè acceptare, promittentemque sibi obligatum habere, non autem reponit, ac reciprocè se obligare velit.

42 Obijcies. Valet contractus Matrimonii per verba de præsentia, *accipio te in uxorem*, si mulier respondet *placet*: ergo servat proportionem idem dicendum de Sponsalibus. Resp. cum. Sanch. *lib. 1. de Matrim. Disp. 5. n. 6.* negando Conseq. & partitem; quia Matrimonium nullatenus claudicare potest, nec aliâ ratione acceptari, quam ut Matrimonium: scilicet est in proposito; nam quamvis Sponsalia non possint claudicare, ut sunt Sponsalia, nihilo minus ut continent simplicem promissionem, possunt claudicare, & potest esse promissio absque alterius repositio, atque acceptari, in quantum obligat solum promittentem, juxta dicta *n. 17.*

Institis: in dubio verba sunt interpretanda potius ut res valeat, quam pereat, *arg. c. Abbate de V. S.* Ad hanc instantiam patet infra *n. 47.*

43 Resp. II. Pariter non censetur Sponsalia esse, nec fieri, si una parte Matrimonium futurum promittente altera tacet. Gutierrez *de Matrim. cap. 3. num. 1. & 2.* Engel *h. t. §. 2. num. 8.* cum communissima aliorum per Jura *num. præced.* allegata. Cui accedit ratio, videlicet, quia taciturnitas ex se nec consensum, nec dissentium importat, sed mediatur inter utrumque juxta Regulam *44. Juris in 6. ibi: qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

44 Nec obstat Conclusioni statim præcedens Regula Juris in 6. *Qui tacet consentire videtur.* Nam in primis opponitur eidem Regula *num. præced.* allegata: Dein cum communi DD. explicatur, & distinguitur: *Qui tacet, consentire videtur*, in quantum est in sui favorem, vel in leve duntaxat præjudicium, conceditur *arg. l. qui patitur 18. ff. mandati, & l. Si absentis 4. C. Si certum petatur.* In quantum est in tacentis præjudicium, & ipsius libertatem lædit, atque obligationem inducit, negatur, *l. in eo 45. §. Deinde. ff. de Ritu nupt.*

Quæ

44 Queritur IV. Quid in Foro externo facere debeat Judex, si consideratis omnibus considerandis dubium obscurum, aut ambiguum manet, an Sponsalia sint contracta, seu an vera promissio Matrimonii facta sit, necne? Ante responsonem notandum, ex diverso capite manere posse dubiam, & ambiguum, an Sponsalia contracta, & promissio futuri matrimonii revera facta sit, nec ne. Videlicet 1. Si verba, & signa ex se ipsis, & ex communi DD. sint obscura & dubia, sipeque proferens verba, vel eadem signa negat, se illa intentione promittendi Matrimonium protulisse seu edidisse. 2. Si verba, aut signa ex se sunt quidem clara, & ex communi DD. sententia promissionem Matrimonii certò significat, sed pars adversa dicit, se illa non serio, sed fidè tantum, vel ex solo joco protulisse. 3. Si absolute negat, compar autem sufficienter probare non potest. Et hæc diversitas dubii est bene notanda, ne aliis, dum una eademque Juris regula, aut principium de dubio, ad quemvis dubium, casum pariformiter applicatur, partes contra justitiam damnificentur, cum certum sit, non quodvis Juris principium de dubio, ad quemvis ex dictis dubiis casibus quadrare, uti statim patet ex sequentibus Conclusionibus. Itaque

45 Resp. I. Quando verba, aut signa ex se ipsis, vel ex circumstantiis tantum obscura, dubia, aut ambigua profertur, eduntur, ut omnibus consideratis considerandis revera adhuc dubium maneat, an per ea promissio Matrimonii facta, aut Sponsalia contracta sint, nec ne, proferens autem ea, fatetur quidem, se illa protulisse, aut edidisse, negat verò, intentione Matrimonii promittendi à se id factum esse, debet Judex talem negantem vel absolvere, vel eidem deferre juramentum purgatorium, quod non habuerit intentionem promittendi Matrimonium, ac juramento deposito acquiescere. Probatu Conclusio præcipue quoad primam partem efficaciter ex claris Juris textibus *num. 41.* allatis, quos ibidem lege. Accedit textus ex *c. Litteris 3. de Probat.* ubi dicitur quod *promptiora sint Jura ad absolvendum, quam condemnandum.* Ratio est; Tum quia, cum juxta tritum illud *Quilibet sit interpretatur Jurum verborum*, sanè in dubiis ambiguis & obscuris recurrendum est ad mentem proferentis, etique saltem juranti credendum, *arg. c. Cum in tua. §. fin. Qui matrim. accus. & c. Perjonalis in fin. de Except.* Tum quia universaliter, quando de mente & conscientia alicujus agitur, statur juramento illius, prout bene docet Glossa communiter recepta in *c. Significasti 18. de Homicid. volunt. v. Si ita est*, atque in specie docet Gailus *lib. 2. observat. 43. n. 24. & seq.* Felinus in *c. Quando de presump. n. 6. arg. cit. Juribus, & c. Si verò de Sentent. excomm. 6. Præsentium. de Testib. juncto can. Si verum esset. caus. 31. q. 2.*

45 Resp. II. Si verba, aut signa sunt quidem clara ex communia loquendi usu, locive consuetudine, aut communi DD. Sponsalia, aut promissionem Matrimonii indicantia, pars adversa autem dicat, se non serio, sed ex joco tantum ea protulisse, tunc Judex in Foro externo presumere & judicare debet, rem ferid fuisse actam, consequenter promissionem veram Matrimonii fuisse factam, nisi jocus aliunde constet, aut sufficienter probetur. Quod si jocus probetur, vel appareat, sed non nisi taliter, quod adhuc dubium ambiguum, aut obscurum maneat, serione, an jocosè fuerit actum, deferendum est proferenti talia verba, vel signa, juramentum, est standum erit. Tota conclusio per Jura & rationes satis probata jam existit ex dictis supra. Et quidem prima pars liquet ex *n. 7.*

47 & 29. Atque altera pars per Jura & rationes *num. præced.* allatas.

Obijcies contra hanc conclusionem illud receptum. *In dubio sic intelligenda sunt verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quam perire*: ergo quotiescunque, & ex quacunque ratione dubium manet, an per verba aliqua fuerit contracta Sponsalia nec ne, semper interpretanda erunt pro valore Sponsalium. Huic textui opponuntur inprimis alii, iique efficaciores Juris textus in simili casu contra Sponsalia aperte faventes, supra *n. 41.* allegati. Deinde concordando Jura Juribus respondetur, textum in objectione positum solummodo habere locum, quando jam certò constat de consensu & voluntate, quâ quis voluit stipulari, condere testamentum, inire contractum, dare privilegium &c. tunc enim, si ambiguitas incidit verborum, hæc ita interpretanda erunt, ut res potius valeat, quam quod contra notam voluntatem pereat. Sectis est, quando de ipso consensu & voluntate cuiuspiam circa substantiam rei dubium existit, ut in proposito. Et hæc responso conformis etiam est ipsi *c. Abbate de V. S.* utpote ubi casus est, certò constituisse de privilegio concessio, & controversiam tantum fuisse de aliqua verborum ambiguitate, de qua Papa respondet verba sic intelligenda esse, ut privilegium certò concessum potius valeat, quam pereat, seu nullum effectum habeat.

48 Resp. III. Si autem existente claritate verborum (de qua in præcedenti conclusione) pars adversa excipiat, & dicat, se non sincerè mente, sed dolosè fictione, & fraudulenter talia verba v. g. ad obtinendum usum corporis, vel alium similem finem, nullam in Foro externo fidem mereatur, nec ad juramentum admitti, sed juxta externum verborum sensum ac tenorem judicandus, & condemnandus est. Hanc Conclusionem probatam vide supra *n. 7. & 8.*

49 Resp. IV. Rursus si verba aut signa, quæ in causa Sponsalium ad Tribunal externum judicanda veniunt, sunt clara quidem, & juxta communem usum loquendi, communemque Doctorum, Sponsalia indubitatè significant, pars adversa tamen absolute negat, se illa protulisse, vel edidisse; pars altera verò id semiplenè, vel ita tantum probat, ut reverà dubium existat, an pars adversa protulerit illa verba aut signa, nec ne, causa decidi debet alterius juramento litis decisivo. Cuius autem parti Judex deferre debeat juramentum, Actori nempe, seu Accusanti alteram de facta sibi promissione Matrimonii, an verò Reo promissionem neganti, plenâ cum satisfactione invenies, & colliges ex dictis *Lib. 2. Tit. 24. de Jurjurand. §. 6. d. n. 191.* quæ breviter capitulare placet, Videlicet, cæteris paribus regulariter Reo potius deferendum est juramentum (quod *purgatorium* communiter vocant, quia purgat & liberat Reum ab accusatione, & crimine, aut obligatione sibi objectâ) quam Actori (cujus juramentum communiter dicitur *Suppletorium*, utpote supplens probationem aliunde non plenè factam) consequenter, si Reus est vir, seu persona aequè honesta, ac Actor, & actor habet tantum semiplenam probationem pro se, Reus verò semiplenam pro sua defensione, vel alias probationem Actoris infirmat, aut elidit, Reo deferendum erit juramentum purgatorium, per Jura & rationes. *cit. lib. 2. Tit. 24. n. 192. & seq.* allegatas. Quibus accedit, quod in pari causa melior sit conditio possidentis. *c. 65. de R. J. in 6.* Reus autem est in possessione suæ libertatis. Item, quia *promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam condemnandum*: ut dicitur *c. Ex literis. de Probat.* Cui concordat *l. Ariamus. ff. de Acton. & probat ubi*

§. m. m. a.

Summarium sic habet: Promprios esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum. Hinc est Regula 11. Juris in 6. Cum partium jura sunt obscura, Reo favendum est potius quam Actori: Nam universaliter ceteris paribus, Favorabiliores Rei potius, quam Actoris habentur: etiam si Actor sit femina, ut proin illa Regula, quam cum aliis Sanchez lib. x. de Matrim. disp. 18. n. 4. illis verbis dat: In dubio favendum est feminis, quia simpliciter res tractare solent, faciliusque ad viris decipiuntur: universaliter non procedat, & in specie non, quando cetera, uti diximus, sunt paria: Tum quia allegati textus, & juris Regula indistincte loquuntur, non distinguendo, an Actor, vel Reus sit femina an vir: ubi autem Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. de pretio. ff. Publicii in re act. & verba generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa 22. de Privileg. Tum quia private Doctorum Regulae, ac opinionis contra clara, & universalis Juris principia attendi non debent. Accedit, quod feminae saepe peiores esse soleant quam viri, juxta illud Scripturae. Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens.

50 Quod si vero cetera non sint paria, sed Reus v. g. sit vilis, infamis, de perjurio suspecta, aut alius non legalis persona: Actor autem persona legalis, & multum honesta, tunc huic potius quam Reo suspecto deferendum est juramentum supplementum, per Jura, rationes, & DD. cit. lib. 2. Tit. 24. n. 197. & seqq. allegatos. Dummodo Actor prius simpliciter suam causam jam probaverit. Imo in causa Sponsalium universaliter loquendo, quotiescumque Actor suam intentionem simpliciter probat, per unum testem v. g. omni exceptione majorem, Reus verò nihil praestet, sed simpliciter negat, Actori, & non Reo (si sit legalis), & de perjurio non suspectus) deferendum est, etiam si Reus sit aequè legalis ac honesta persona ac Actor, per Jura, rationes, & Doctores cit. lib. 2. Tit. 24. n. 195. allegatos. Quibus accedit, quod Actore saltem simpliciter probante, & Reo simpliciter negante, omnia jam non sint paria, sed major praesumptio stet pro Actore quam Reo, consequenter supra n. 49. allegata Juris principia non procedant. Econtra verò ratio & aequitas naturalis dicitur, ut Judex illi magis faveat, pro quo major sit praesumptio. Et hoc maxime procedit, quando Actor, seu Actrix est femina: tunc enim locum habet Regula Sanchezii supra n. 49. allegata, videlicet, quod, quando femina Actrix simpliciter probat, à Reo sibi promissum esse Matrimonium, Reus verò nihil praestet, sed simpliciter neget, feminae potius credendum & favendum, consequenter eidem, & non Reo simpliciter neganti deferendum esse juramentum; quia regulariter feminae simpliciter rem tractare solent, faciliusque ad viris decipiuntur.

51 Dicitur autem notanter, si Actor sit persona legalis: quia, si talis non est, econtra verò talis existat Reus, huic potius quam Actori deferendum est juramentum; est actor simpliciter probet, & Reus simpliciter neget, ut n. 199. ad finem notavimus. Ratio est, quia persona, quae legalis non est, juramentum litis decisorium à Judice deferri non potest, per Jura & rationes cit. lib. 2. Tit. 24. n. 180. allegatas.

52 Si contra haec dicta Judex alicui parti juramentum deserat, pars altera excipere, protestari, & appellare potest; quod si non faciat, sed contentiatur, vel solum, prout potest, juramentum parti alteri deserat, causam perdit, si pars altera acceptat, atque juramentum praestet, per dicta loc. cit. §. 1. & duobus seqq. ubi copiose de juramento litis decisorio.

§. III.

De signis, per quae Sponsalia contrahi possunt, & solent; contractaque in Foro externo praesumi debeant?

SUMMARIUM.

- 53 Sponsalia etiam signis contrahi possunt.
- 54 In Foro interno spectatur intentio edentis signum.
- 55 Quae signa in genere in Foro externo indici Sponsalia?
- 56 Annulli traditio ex se non est sufficiens signum Sponsaliorum.
- 57 Bene verò, si praecessit tractatus de futuro Matrimonio, aut verbum unius. Et num. seq.
- 59 Munerum traditio eodem modo, quo annuli traditio habetur pro consensu Sponsalio.
- 60 Idem dic de manuum porrectione.
- 61 Taciturnitas liberorum est signum consensuum, si pro eis presentibus contrahunt parentes.
- 62 Non item, si alii pro eis consentit.
- 63 Nomine parentis hic etiam Mater venit.
- 64 Taciturnitas non est signum consensuum in Sponsalia à parentibus in absentia liberorum contracta.
- 65 Nisi etiam tunc taceant, si ipsimet parentes facta pro illis Sponsalia eidem notificant: secus est, si alii notificant. Et num. seq.

Non tantum per verba, sed etiam per signa consensum internum exprimentia, contrahi possunt Sponsalia, concors hodie est Doctorum sententia: arg. c. cum apud. 21. h. t. ubi habetur etiam mutum contrahere posse Sponsalia, Ratio subjungitur, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare, concordat c. tua eod. & c. un. de Desponsat. impub. in 6. Hinc tantum controversia est, quibus signis contrahantur.

Quaeritur I. Per quae signa contrahi possint, & 54 contracta censentur Sponsalia (Ante responsum notandum, hic iterum distinguendum esse inter Forum internum, & externum. Et quidem pro interno attenditur intentio edentis signum externum, ita ut per quodvis signum contrahi possint, & in Foro interno contracta censentur Sponsalia, si tali signo consensum internum contrahendi indicare intendit edens illud, est aliàs talis consensuum expressivum non sit, nec pro tali in Foro externo habeatur. Et econtra nulla erunt in Foro interno Sponsalia, est edatur signum communi aestimatione expressivum consensuum interni, si edens illud, eodem contrahere, contrahendique consensum indicare non intendebat, ut proin circa Forum internum observanda sint illa, quae de verbis diximus §. praeced. n. 27. ubi vide H. N.

Resp. II. Universaliter loquendo pro Foro externo, illis signis censentur, ac praesumuntur contracta esse Sponsalia, per quae concurrentibus circumstantiis, juxta communem intelligentiam, usumque, ac consuetudinem loci, voluntas sui consensuum contrahendi exprimi, & manifestari solet. Est communis Doctorum. Et ratio est; quia sicut verba, ita & signa, juxta communem usum, locique consuetudinem interpretari debentur in Foro externo, nisi aliunde de mente constet. arg. l. Labeo. ff. de Suppell. legat. & c. Ex literis. il. v. h. t. junctim l. Semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J. ibi: In stipulationibus, & ceteris contractibus & c. id sequitur, quod in Regione, in qua actum est, frequenter. Quatenus autem sint talia signa, quamvis una Regula

gula pro quovis loco assignari non possit, cum, quod in uno loco pro tali signo habetur, in alio pro tali non reputetur, uti bene advertit Gobath Tract. 10. casu 2. n. 72. Tamen dantur quaedam signa, quae concurrentibus certis circumstantiis, pro expressivis consensuum contrahendi ferè communitè & ubique reputantur. v. g. Immissio & acceptatio annuli in digitum, Donatio & acceptatio munerum, Porrectio manuum, Taciturnitas praesentis prolis, dum loco ejusdem parentes Sponsalia contrahunt. De quibus singulis singula ponemus quaesita. Hinc

56 Quaeritur II. An, & quando Immissio & acceptatio annuli in digitum (quam subarrhationem vocant) in Foro externo judicanda sit pro sufficienti signo expressivo consensuum contrahendi Sponsalia? Resp. I. Immissio & acceptatio annuli in digitum seu subarrhatio ex se loquendo est signum aequivo-cum, addè ut si tractatus de Sponsalibus non praecessit, aut si speciale quid habeat consuetudo loci, ex ea Sponsalia non praesumantur. Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 22. nu. 1. Mascardus de Probat. concl. 1024. n. 2. & seqq. Menochius lib. 3. de Praesumpt. 2. n. 1. & seqq. Abbas in c. fin. de Desponsat. Impub. num. 7. cum communi aliorum. Ratio est; quia talis Donatio annuli etiam ob alias causas fieri potest, & solet, arg. c. Illud. 11. de Praesumpt. v. g. ob turpem, vel etiam castum amorem; aut in signum memoriae, mutui affectus, aut sub spe futuri matrimonii; ergò. Confirmatur experientia, quae constat, sepiusimè ob alios, quam Sponsaliorum finem fieri hujusmodi donationem, & acceptationem annuli: ergò. Accedit Tribunalium praesentis, quae ex sola hujusmodi donatione de Sponsalibus non praesumit, nec judicat, nisi aliud accedat: ergò.

57 Resp. II. Quando de Sponsalibus praecessit tractatus vel verbum unius, tunc (nisi aliud exprimat) immissio, seu donatio & receptio annuli, habeatur pro consensu alterius, praesumunturque in Foro externo Sponsalia, Glossa in c. Si inter 31. h. t. §. Dicente. Sanchez loc. cit. n. 3. Mascardus loc. cit. Menochius loc. cit. n. 4. Abbas loc. cit. n. 8. Sporer 4. cap. 1. §. 2. n. 189. cum communi aliorum. Ratio est; quia praecedente tractatu, aut verbo unius de futuro matrimonio, traditio, & acceptio annuli juxta communem aestimationem hominum habeatur pro signo consensuum; atqui in Foro externo verba & signa accipiuntur, & intelliguntur juxta communem usum & aestimationem, arg. l. Semper in stipulatione. 33. ff. de Reg. J. cum concordantiis; ergò.

58 Hinc, si quis praecedente Matrimonii promissione alteri parti facta, eidem dat, aut porrigit annulum, & haec sine contradictione accepta, praesumitur reponnittere, & facere Sponsalia, est nihil dicat. Idem dic in casu, quo etiam abique praecedenti tractatu, aut promissione unius concomitante, dum sit annuli porrectio, simul sit promissio aut mentio unius, his, vel aequivalentibus verbis: Do tibi annulum ad Matrimonium futurum. (Ich gib dir den Ring auf die Ehe: vel ut plebs communis apud Germanos dicit, Ich gib dir den Ring dro, seu daran,) praesumuntur Sponsalia, si pars altera sine contradictione acceptat, est nihil dicat; quia juxta communem aestimationem tali signo consentisse, & reponnittere censetur, quod sufficit; quia verba non necessario requiruntur, praesertim in feminis, utpote quae ex verecundia nutu potius & signis, quam verbis consentire etiam solent, uti bene advertit Glossa loc. cit.

Item quod de annuli traditione & acceptatione dictum est, etiam de aliis muneribus, factis, jocalibus Sponsorum more mitti & donari solitis intellige, praesertim si in his partibus Donatores illud expriment: v. g. Ich gib dir dijs auf die Ehe: vel Ich gib dir dijs dro, seu daran &c.) Sanchez loc. cit. nu. 5. Sporer loc. cit. Gobath ubi supra num. 69. & alii apud Sanchez. Ratio eadem est; quia nempe non solum annuli, sed etiam aliorum munerum (praecedente & concomitante ex parte unius promissione Matrimonii) donatio & receptio pro sponsalio consensu communitè habentur, praesertim, si praefata exprimentur verba, teste experientia & Tribunalium Ecclesiasticorum praxi: atqui ubi eadem est ratio, eadem est Legis dispositio, per vulgaria: Annulli tamen receptio manifestus censetur esse signum, quam aliorum munerum.

59 Quaeitur III. An, & quando manuum porrectio sit signum Sponsalium? Resp. de hac eodem modo esse discurrendum, sicut de traditione & acceptatione annuli, videlicet, quod, quia manuum porrectio ex variis motivis fieri potest, & solet, ut cuiusvis constat, ea ex se non sit sufficientis signum praesumendi Sponsalia; bene verò si praecedente tractatu de Sponsalibus, aut praecedente & concomitante promissione Matrimonii unus porrigit manum alteri patti, & haec non reculat, nec manum retrahit, sed porrectam accipit, consentire & reponnittere in Foro externo rectè praesumitur, Sanchez loc. cit. Engel h. t. §. 2. n. 8. Sporer loc. cit. nu. 188. Gobath tract. 10. casu 2. n. 66. cum communi aliorum, per rationes & Jura supra n. 57. allegata, quibus accedit, quod juxta Reg. 43. de R. J. in 6. Tacens consentire videatur, etiam quando est in sui praesudicium & obligationem, si accedat etiam positivus consensuum significans, uti tradit Abbas in c. Cum virum. De Regular. n. 3. arg. cit. cap. Cum virum 12. eod.

Et haec conclusio tunc maxime procedit, omnique controversia caret, quando, dum vir v. g. manum porrigit, lequentia, vel similia verba dicat: hinc habes manum meam: vel, do tibi manum, quod velim te habere pro uxore futura, vel, te ducere &c. (Da hast mein Hand: vel, da gib ich dir die Hand darauf, dajs ich dich vryll hwarthen, vel nehmen: vel, dajs du mein kunstiges Weib jollst seyn &c.) Sporer, & Gobath. loc. cit.

Quaeritur IV. An, & quando Taciturnitas liberorum indicet consensum Sponsalium; dum loco eorum Sponsalia contrahunt parentes? Resp. I. Quando parentes loco liberorum praesentium contrahunt Sponsalia & liberi tacent, valida sunt Sponsalia. Omnes, textu expresso c. un. de Desponsat. Impub. in 6. ibi: Porro ex Sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus, seu impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacite, ut si praesentes fuerint, non contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iustitia publice honestatis.

Resp. II. Praemissa Juris constitutio est specialis in Parentibus contrahentibus pro liberis, nec extenditur ad alios. Hinc si frater pro sorore, Tutor pro pupillo, aut alius extraneus pro quopiam praesente Sponsalia contrahere nititur, non sufficit sola praesentia & taciturnitas hujusmodi, sed requiritur aliud signum, quo consensum internum sufficienter exprimat. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 23. n. 7. Pirhing h. t. n. 16. Barbosa in c. un. de Desponsat. Impub. num. fin. & ibi Joan Andreas in fin. Ancharanus n. 3. Sylvester Verb. Sponsalia. q. 2. dicto 5. & alii arg. l. si puella ff. de Sponsalib. ubi dicitur, non posse Tuores Sponsalia contrahere, nisi ex voluntate puella. Ratio est; tum quia c. un. de Desponsat. Impub. expressè loquitur de filiis parentibus; ergo ad alios extendi non debet; praesertim cum Juris Regula 43. de R. J. in 6. quae